

agitare cœpisset, ut barbaræ gentis ope, atque auxiliis nimium crescentem Caroli potentiam coerceret, quæ, Suleimano e Perfide regresso, maturata exitium, ac funestarum cladum semina Christianis fuere. 1535

Interea omnibus in Africanam expeditionem comparatis, comineatibus in naves distributis, totoque exercitu, ut conscenderet, jussu, Cæsar, primoribus Hispaniæ, atque Principe Lusitaniæ, qui eo cum octoginta navibus venerat, comitantibus, Barchinone solvit. Nullam vel ea, vel superioribus tempestatibus classem aut navigiorum numero, aut bellicorum instrumentorum apparatu, & copia, militum nobilitate, virtute, robore magis insignem visam fuisse memorabatur; cum universa trecentis, atque amplius triremibus, ac navibus constaret; quadraginta in ea militum millia numerarentur. Cunctorum Europæ Principum arrectis animis, quisnam exitus tanta mortalium expectatione suscepti a Cæsare egregii conatus foret. Dum tota Italia Summi Pontificis edicto supplicationes haberentur, ut Christianorum votis, noxarum expiatione, innumerisque pietatis officiis placatum Divinum numen aspiraret, universo confluyente populo, per triduum Venetiis concelebrata fuere. Marcus Antonius Contarenus, apud Cæsarem legatus, in Africam cum eo proficisci jussus. Classis Barchinone discedens, in Magonis minoris insulæ Balearis portum cursum tenuit; mox in Sardiniam ad urbem Caralim pervenit, atque inde in Africam trajecit, ac in Uticæ portum, quem navitæ *Farinam* vocant, universa illata est. Ab Utica Carthaginis promontorium, totumque ejus regionis litus, quam *Martiam* vocant, superbæ quondam urbis ruinis percelebre, circumvecta, militibus in terram expositis, cum universo exercitu Cæsar Guletam circumfedit, ut, ea expugnata, facilius ad Tunetum oppugnandum aditus foret. Namque Guletæ is situs est, ut lateritia turris nonnullis cincta propugnaculis, iis faucibus immineat, per quas sinus Carthaginensis, mare ad australe litus allidens, in stagnum sese insinuat, quod duodecim millia passuum extentum parvis navigiis ad Tunetum iter vadis præbeat, quæ adeo depressa, atque humilia sunt, ut nisi medio, eoque profundiori alveo tranari queant. Guletam Ahenobarbus haud exiguo tormentorum numero instru-

*Lusitaniæ
Princeps
cum classe
ad Cæsaris
auxilium.*

*Supplicationes
ob Africani
expeditionem.*